

EXPLICATIO FABRICAE ET VSVS.

& tribus sequentibus hic idem Quadrans paulo uberius per varias circumstantias, atq; una ibidem Divisionis circumferentiæ in punctis transversalibus modus & aptissimus & exactissimus à nobis primùm circularibus applicatus fusiùs explanatur, & exquisitâ picturâ illustratur. Quin & dioptra ejus isthic pag. 462: etjam depingitur ac exponitur, quò pinnacidiorum ratio & rimularum, de quibus subinde mentionem faciò, dispositio, cæteraq; huc conducencia dilucidè ostenduntur. Eò itaq; lectorem harum rerum cupidum remitto: ubi etjam plura inveniet hanc Mechanicam, tam hujus, quàm aliorum Instrumentorum rationem concernentia: quæ omnia hic annotare locus non patiebat. Et quæ ibi circa divisionis & pinnacidiorum stationem prolata sunt, in omnibus aliis Instrumentis, quibus hæc accommodare oportet, intelligi volo: ne tam hîc quàm alibi ea fastidiosè revocare opus sit. Id saltém tam propter hoc quàm cætera Instrumenta hîc monebo, oportere ea omni ex parte esse quàm absolutissima. Ideoq; idoneos Artifices Mechanicos adhibendos, qui tali affabrè elaborare nòrint aut discant. Et si primâ vice rem omnem acu (uti ajunt) non attingerint, haud piget astructorem denuò reiterare opus, eaq; omnimodè emendare, quæ desiderantur: donec nulli vitio obnoxia sint. Quòd ipsa observatio intelligenti satis prodit, variè administrata. Hinc factum est, ut nos pleraque ex iis Instrumentis, quæ in hoc libro exhibemus, bis vel ter non sine sumptu magno non renovari, imò quasi de novo confici curaverimus; molendinis etjam tam per equos, quàm aquis circumducendis in eos usus, ut tornarentur, licet fermè frustra, extractis: Multisq; aliis impensis, quæ in ipsis Instrumentis non facile aestimantur, huc erogatis.

